



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117921

§. 55. S. Adalberti Archiepiscopi Magdeburgensis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](#)

Sæculum X. spem tamen humani fugientem exce-
A. C. 980. perunt. Ibi Rex post paucos dies, us-
 que ad ultimum spiritum JESU Christo
 fidelis, ex vulnere extinctus est. Annis
 regnaverat quinquaginta, primus qui
 apud Danos Christianam fidem induxit,
 atque Septentrionem Ecclesiis & Evan-
 gelii Prædicatoribus implevit. Obiit
 vero in Festo Sanctorum omnium anno
 nongentesimo octogesimo, corpusque
 Roschildam in Regnum suum relatum,
 atque in Ecclesia S. Trinitatis ab ipso edi-
 ficata sepultum. S. Haroldus ob mor-
 tis suæ causam SS. Martyribus adseri-
 ptus est.

*Epitaph.
ap. Bar.*

§. LV.

*S. Adalberti Archiepiscopi Magdebur-
gensis Obitus.*

Sup. §. 16. Anno sequente nongentesimo octo-
 gesimo primo S. Adalbertus, primus
 Archiepiscopus Magdeburgensis, anno
 Pontificatus sui decimo tertio obdormi-
At. SS. vit in Domino. Is ab Ottone II. Impe-
Ben. Sæc. 5. ratore Privilegium obtinuerat, cuius te-
P. 571. nore Monachis, ex quibus Capitulum
 Magdeburgense constabat, Archiepisco-
 pum eligendi potestas fiebat. S. Adal-
 berto defuncto Clerici populusque una-
 nimi voce Archiepiscopum elegerunt
 Ochtricum, virum scientiæ fama cla-
 rum,

rum, tunc Imperatori servientem, quam- Sæculum X.
vis S. Adalbertus, cum adhuc luce frue- A.C. 981.
retur, publice prædixisset, Ochtricum
Successorem suum neutiquam futurum.
Nam Adalbertus & Ochtricus nunquam
moribus conveniebant, unde complu-
res, cum Ochtricus Scholæ Magister es-
set, ex Congregatione abierunt. Itaque
Legati a Capitulo Magdeburgensi iter in
Italiam ingressi, ubi ad Regiam Otto-
nis II. pervenerunt, Gisleri Episcopi
Merseburgensis, qui apud Imperatorem
tunc plurimum valebat, suffragium im-
plorant, & Legationis suæ causam ape-
riunt, quibus ille consilium & opem pro-
mittit; sed simulata fronte, namque
cum postea ad Imperatorem S. Adalber-
ti obitum detulisset, ejus pedibus pro-
volutus sibi ipsi Archipræsulatum Mag-
deburgensem, obsequii longo tempore
præstigi præmium, conferri rogavit; ei-
que illico Imperator annuit.

Mox e conclave Cæsar is egrediens,
Ochtrico & ceteris Legationis sociis in-
terrogantibus, an pro causa sibi commis-
sa feliciter perorasset, respondit; sibi vix
licere se ipsum in propriis & domesticis
causis juvare, quod avaritia, præsertim
Romanorum, usque adeo Regiam cor-
rumperet. Tandem ubi solos habuit,
quid ageretur, professus est. Tum libel-

Sæculum X. Io Benedicto VII. Papæ publice tradito
A.C. 983. translationem hanc ratam haberi postu-
 lavit. Papa, congregata Synodo, qua-
 sivit, an liceret Gisilero ad Archiepiscop-
 patum Magdeburgensem transire, Sedem
 non habenti, postquam Hildevardus Epi-
 scopus Merseburgensem Cathedram in-
 vasisset. Responderunt corrupti Judi-
 ces, id omnino licere; itaque Gisiler
 Archiepiscopatum obtinuit, Mersebur-
 gensis autem Episcopatus suppressus, &
 illa regio Halberstadiensi Episcopo subdi-
 ta. Ochtricus exinde Beneventum pro-
 fectus, ibique morbo correptus decessit,
 postquam sera pœnitentia subiisset, quod
 relicto monasterio Archipræsulatum am-
 bitiose quæsivisset.

§. LVI.

S. Adalbertus Episcopus Pragensis.

Discipulorum S. Adalberti Magdebur-
 gensis nullus illustrior S. Adalberto
 Pragensi fuit. Is in Bohemia, Patre,
 nomine *Slaving*, Comite & amplissima-
 rum ditionum Domino natus, in Baptis-
 mo dictus est *Voitiecht*, quæ vox Sla-
 vonica lingua *Solatium Exercitus* signifi-
 cabat. Cum parentes puerulum subito
 gravi morbo laborantem Deo consecra-
 sent, postquam convaluit, Magdeburgum
 missus est, sub cura Adalberti Archiepi-
 scopi